





Q. D. B. V.  
DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> IN<sup>A</sup>UGURALIS MEDICA  
<sup>D</sup>E  
**E N E M A T U M**  
**I N V A R I O L I S**  
**N E C E S S I T A T E**

QVAM  
EX CONSENSU  
**G R A T I O S Æ F A C V L T A T I S**  
**M E D I C Æ**  
**P R O L I C E N T I A**

S U M M O S I N M E D I C I N A H O N O R E S  
E T P R I V I L E G I A D O C T O R A L I A  
R I T E O B T I E N D I

S O L E N N I P H I L I A T R O R U M C E N S U R Æ S U B J I C I T

**J O S E P H U S H E N R I C U S**  
V O<sup>L</sup> LAUFFEN  
L U C E R N E N S I S H E L V E T U S .  
A D D I E M 20 J U L I I A. M D C C L I I .

H. L. Q. S.

---

A R G E N T O R A T I  
T y p i s H Ä R E D U M P A U S C H I N G E R I A N O R U M .

D E O  
ET  
P A T R I A E.

## P R A E F A T I O.



Nter multifaria auxilia , quibus ad averruncandos internos corporis humani morbos Medici optimo cum successu utuntur , præter remedia per os assumenda , illa etiam medicamenta liquida , quæ per inferiora injiciuntur , Enemata vocant , jure meritoque numerari debent . Methodum per anum intestinis crassis medicinam applicandi , hominibus , volucris in Ægypto , quo vocatur Ibis , si PLINIO Hist. Nat. L. VIII. C. 27. credimus , monstravit , rostri aduncitatem per eam partem se perluens , qua reddi ciborum onera maxime salubre est . Et quamvis alii ingenio humano potius , quam fortuitæ tali observationi hujus medicaminis inventionem tribuere malint , idem tamen antiquissimi & celebratissimi in medendo usus fuisse , neutiquam infitantur . PLUTARCHUS in Euterpe , clysterum usum apud Ægyptios adeo solennem fuisse , ut singulis mensibus triduo , sanitatis conservandæ gratia , vomendo atque intestina diluendo se purgant , memorat . Ab his morem clysmis utendi Græci acceperunt , quibus non solum sanitatis conservandæ , verum etiam morborum curandorum gratia , maximopere profici censebantur , & præcipue a Græcanica æque ac totius Medicinæ parente HIPPOCRATE non solum in intestinorum affectionibus , verum in aliis etiam internis corporis morbis multoties commendabantur , uti præter alia ex ipsis Lib. de Purgant. N. 5. Epidem. L. I. S. 3. Ægr. 1. & de Morb. mulier. L. I. N. 101. videre est . GALENO postmodum idem etiam medicamentum probatum fuisse ex Libr. quos purgare conveniat , docemur . Latinis etiam lotionibus alvum in morbis ducere consuetum fuisse , Cicero Medicorum CELSUS de Med. L. II. C. 12. testis est . Nec posteris seculis inter Arabes consuetudinem de usu horum deflexisse , frequens in morbis de clysteriis apud Medicos eorum sermo probat , uti illud

A 2

præ-

præter reliquos ex AVICENNA L. III. Fen. 16. Tr. 4. C. 4. 7.  
 9. 11. &c. constat. Nec Hispanos, Italos & Gallos in-  
 sequentium seculorum nostrique ævi Medicos enemata in  
 medendo horruisse, quin potius Gallicanæ nationis iatros  
 frequentissime toro die optimoque cum effectu illa adhi-  
 bere, cum rerum testimonia adsint, probare opus est.  
 At quis, post tot insignes clysteriorum à remotissimis tem-  
 poribus præstitos effectus, eadem tamen è foro medico  
 vel per antiquorum legislatorum edicta, vel per ipsorum  
 medicorum asserta, eliminata fuisse crederet. Ita tamen est,  
 nam juxta L. 9. §. 1. ff. ad Leg. Aquil. juris tunc temporis  
 Consulti pronunciaverunt, „ si quis per vim, vel suasum,  
 „ medicamentum alicui infundit, vel ore, vel clystere, vel si  
 „ eum unxit malo veneno, lege aquilia tenetur. In hac tamen  
 lege Themidis antistitibus de damno, ex noxiorum pharma-  
 corum applicatione & per culpam illato, solummodo cau-  
 rum fuisse certum est. Sed in ipso Medicorum gremio PARA-  
 CELSUM & HELMONTIUM contra hujus remedii usum clamant-  
 tes audiamus. Prior de Tartaro L. II. Tr. I. C. 6. „ clysterium  
 „ vilissimum apud nos medicamen, & absurdissimum & tur-  
 „ pißimum vocare non dubitat. Posterior de Febr. C. VII. „ cly-  
 „ steres frequens ac pudendum medentum subsidium appell-  
 „ lat. Ego saltem olim, inquit, enemata nunquam, nisi cum pu-  
 „ dore suasi, & descripsi. Postquam autem fida remedia na-  
 „ ñus sum, clysteres prorsus abhorrii, velut belluinium re-  
 „ medium ab ave (ut ajunt) edocetum. Etenim clyster quilibet  
 „ naturaliter est intestino hostilis. Hæc si Medicis de enema-  
 tum efficacia in animis hæret sententia, quid mirum! si levè &  
 inconstanti plebi, ex Teutonica præcipue gente, ingens circa  
 clysterum usum metus in mente insidet, quid mirum! si toro  
 die homines se malle mori, quam clysterni applicationem  
 admittere, exclamare audimus, quid mirum! si, notante  
 LENTILIO in E. N. C. Dec. II. A. II. Observ. 152. p. 345.  
 putant, „ enemata esse remedium extremum, reliquis  
 „ nil juvantibus exhiberi solitum, adeoque hæc ubi vi-  
 dent

dent præscribi, conclamatum esse de ægro autumant.  
 „Quin immo ante usum aliqui testamentum condunt  
 „exempla eorum, qui aut lithotomis, aut celotomis  
 „aut id genus Medicinæ operatoribus sese subjiciunt.  
 Quis tamen Medicorum rationalium cognitis licet vulgi  
 præjudiciis, perspectisque Medicorum aliorum circa hoc  
 remedium auctoritatibus, ab hujus auxiliis in morbis applica-  
 tione ideo absterre se patietur. Solida potius theoria in-  
 structus & felici experientia edocitus, illud neque ceu sor-  
 didum, neque ceu inutile, neque ceu nocivum pharma-  
 cum damnabit. Omnium enim morborum internorum  
 numerum inire cogeremur, si beneficia, quæ enemata cor-  
 pori humano fecerant, enarrare vellemus, cum vix mor-  
 bus quidam sit, in quo non ruto, & fere semper eadem ap-  
 plicari possint. Quis Medicorum, sodes! miseris ægris co-  
 lica, ileo, hernia, diarrœa, dysenteria, vomitu, hypo-  
 chondriaco malo, hysterica passione, dysfocia, hæmorrhagia  
 quadam, infarctu viscerum abdominalium, cardiotago,  
 ictero, hydrope, nephritide, cardialgia, asthmate, tussi, pal-  
 pitatione cordis, convulsione, spasmo, verme, cephalico do-  
 lore, ophthalmia, otalgia, odontalgia, vertigine, catarrho suf-  
 focativo, apoplexia, soperoso affectu oppressis absque hu-  
 jus remedii ope ex voto succurrere posset. Quis in inter-  
 mittentibus, continentibus, continuis, acutis, inflammato-  
 riis & exanthematicis febris omnibus, quarum nomina  
 tyronibus etiam nota sunt, iisdem supersedere potest, ni  
 præjudicio vincit, aut metu victus, eorum usum recusa-  
 re malit. Una nunc febris exanthematica, variolosa nem-  
 pe, pro reliquis omnibus clysterum causam oret. Hoc  
 præsenti de enematum in variolis necessitate opella, ut, supe-  
 ratis rite tentaminibus & examinibus doctoralibus, spe-  
 cimen studiorum Medicorum inaugurale edam, præstare  
 conabor. Non vero conatus hosce turpes voces, BENEVOLE  
 LECTOR, rogo, cum ea quæ naturalia, quæ utilia, quæ ne-  
 cessaria sunt, turpia neutiquam existant.

## §. I.

**E**NEMATUM in variolis necessitatem probaturus, ut quædam de variolis in genere, in quantum scopo præfixo servire possunt, præmittam, ordo præcipit. Variolas nonnulli a latina voce variare, quia cutis superficiem diversimode variant, alii vero a varis, maculis in facie lenticulas æmulantibus, quia parvi quasi vari existunt, nomen duxisse, credunt. Sunt autem Variolæ pustulæ diversæ magnitudinis & coloris, cutem corporis humani obsidentes, a sanguinis vel seri in exhalantibus ejus vasculis immobilitate & corruptione, indeque nata febre plus minusve acuta, inflammatoria, oriundæ.

## §. II.

Pro majori minorive nunc sanguinis, nunc seri, nunc utriusque spissitudine ac corruptione, magnitudinem, colorem, febrem, & periculum variolorum variare a Pathologis accuratis observatum fuit. Hinc etiam varias eorumdem differentias considerunt. Ante omnia variolas in veras & nothas distinxerunt. Exanthemata sanie vel pure referta, & febre acuta inflammatoria stipata, veræ, quæ vero lympha repleta, & febre mitissima comitata sunt, variolæ nothæ vocari solent. Veræ iterum variolæ, si distincta inter se in cute relinquunt spatia, discretæ, at, si plures sibi implicantæ vesicas magnas efformant, confluentes appellantur. Et, si materia in discretis aut confluentibus contenta albida, flavidaque existit, purulentæ, si vero rubicunda, livida, nigra est, saniosæ, ichorosæ, gangrænosæ variolæ reputantur. Si centro pleno, circumscripto, pustulæ turgent, globo-

globosæ, si in fastigium elevato medio præditæ sunt, acuminatæ, si vero collapsæ nequicquam assurgunt, sessiles variolæ salutantur. Ex discretis æque ac confluentibus illæ, quæ globosæ flavæque sunt, quæ mitiori febre aliisque blandis symptomatibus notatae sunt, benignæ & SYDENHAMO *Opp. Med. Scđ. III. Cap. 2.* regulares, quæ vero sebaceæ, rubicundæ, lividæ, nigricantes sunt, quæ acuminatæ vel sessiles existunt, quæque febre acutissima, aliisque gravibus accidentibus sese monstrant, malignæ in scholis Medicorum, & SYDENHAMO irregulares sive anomalæ, audiunt. Si plures homines in uno loco ob communem causam, in aëre ut plurimum hærentem, adoruntur, epidemicæ, si unum vel alterum, ob causam in suo corpore quærendam, corripunt, sporadicæ variolæ dicuntur. Quæ infantes aut juvenes vexant, congruarum, quæ vero adultos, aut plane senes, visunt, incongruarum variolarum nomen merentur. Tandem quæ per naturam producuntur, spontaneæ, quæ vero per artem inducuntur, inoculatæ variolæ existunt.

## S. III.

Priusquam cutis foedis variolarum pustulis occupatur, varia ut plurimum actionum turbatarum symptomata antecedere, moxque aperiendam tragœdiam nunciare solent. Capite vehementer dolere, lassitudine corporis viriumque prostratione corripi, circa præcordia angit, appetitu destituti, imo nausea, conatu vomendi, ac sepiissime actuali vomitu plecti, tensionibus circa scrobiculum cordis, umbilicum & hypochondria molestari, dorsi & lumborum tractinibus affici, somno inquieto pavoribusque nocturnis vexari, stimulo ad meiendum crebro premi, alvō clausa detineri, horripilatione & frigore affigi, siti cruciari, illos in quibus variolæ latent, observamus. Hisce incommodis calor succedere, & pro ætatis, sexus, temperamenti, virtue que generis differentia levius graviusve urgere, pulsus erit iam

iam frequentius, fortius & plenius inicare, ac salire, si-  
tis increbescere, iectigationes corporis & inquietudines fa-  
tigare, agrypniae accedere, urina pauca, flammea, ardens  
excerni, sudororque, specificum odorem referens, apud ad-  
ultos præcipue profundi solet. Febrem ergo variolorum  
præcursum esse ex individuis ejus comitibus certiores  
reddimur. Et, præter consueta hæc phænomena, aliis  
adhuc interdum, maximeque santicis, febris variolosa co-  
mirata incedit. Sæpe enim sub morbi nostri insultu ægri  
delira loquuntur, lipothymiis obruuntur, haemorrhagias na-  
rium experientur, pulsū durum, inæqualem, & subfultus  
tendinum manui Medici tangentis offerunt; imo vix non in-  
fantem quendam variolæ prehendent, quem non ante in-  
gressum per convulsivos motus salutabunt. Dum vero  
cum diris hiæce motibus colluctantur ægri, febreque con-  
tinua uruntur, quarto ordinarie ab aggressione febribus die  
maculæ rubræ, inflammatoræ, acicularum puncta ab ini-  
tio æquantes, interstictis spatiis primo in facie, collo &  
pectore prodeunt, dein sensim sensimque sequentibus die-  
bus in abdomen, dorso & extremitatibus similiter com-  
parent. Hæc prima morbi facies & eruptionis periodus  
existit. Tunc vero febris reliquaque, quæ terrebant sym-  
ptomata, cessare, aut multum a vehementia sua recedere,  
si nempe hæc maculæ discretæ & benignæ sunt, anno-  
tantur. At, si è confluentium aut malignarum familia  
existunt, tunc non solum citius secundo tertiove a decu-  
bitu die maculæ latæ, plures, sibi admodum vicinæ, aut  
contiguæ, morbillorum aut erysipelatum instar, proru-  
punt, verum etiam gravioribus omnibus insuperque son-  
ticis antea memoratis accidentibus stipatae sese præsentant,  
febris etiam, eruptione licet facta, nequaquam minuitur,  
quin potius uno tenore perdurat.

## §. IV.

At quamvis excretione peracta, illos, qui discretis in cute maculis notati sunt, pacato rerum statu gaudere dixerimus; non tamen semper hisce halcedoniis frui ipsis licere sciendum est. Nam octavo die, induciis omnibus sublatis, nova exacerbatione graffari febris, secundaria dista, iterum observatur. Denuo ergo in vasis & visceribus calor accenditur, & quæ antea ægrum agitaverunt symptomata duplicatis ictibus recrudescunt, tuncque sub hisce actibus cuticulam elevari, maculas in medio albescere, cutem interjectam tendi, tumere, dolere, rubere, & inflammari, hæcque omnia primo in facie ita evenire, hinc palpebras turgere, coalescere, oculosque claudi, atque pedentim dein in reliquis corporis partibus eadem ira geri videmus. Ubi quidem, si e distinctarum & benignarum censu variolæ sunt, flavescentem, pure repletam, circuloque coccineo dotatam sphærulam spectantibus exhibent, febrisque paulo post minor mitiorque rursus fit. At, si interstinctæ licet, sed malignæ sunt, pustulam in medio acuminatam, vel sessilem, foveola notatam, sebaceam, pallidam, aut plane lividum atrumque anthracem offerunt, ægrique tunc gravissime decumbunt, ac febrem acutissimam experiuntur. Sed confluentium variolarum febris itidem, quando maculæ eo ordine, quo eruperunt, elevantur, intensior fieri solet, &, quæ ob exanthematum viciniam, vesicam rubicundam formavit cutis, nunc albescere, tumere, & pure subtus generato, atque in unam insulam multis in locis confluente, gradata cernitur, tardius tamen in his, quam in discretis hæcce omnia accidere, vultumque præcipue confluentibus pustulis deturpari notandum est. Sique purulenta hæc materia cocta & laudabilis existit, in confluentibus variolis etiam flavescente colore in cuticula translucet. At, si corrupta & saniosa eadem est, scedo tabo diffluens cutis epidermidem

B

colore

colore rubro, livido nigrove deformat. Quis vero nunc  
 ex colore hocce, atro malignitatis carbone tales variolas  
 notandas esse, non concludet. Hanc ipsam vero fontica,  
 quæ ægrum circumstant & aggravant symptomata, ulte-  
 rius confirmant. Ita nempe vehementer in malignis va-  
 riolis æstus febrilis in sanguine sœvit, ut caput fortissime  
 inde dolere, meninges & cerebrum periculosissima in-  
 flammatione tentari, inquietudinibus & agrypnis corpus  
 defatigari, linguam mentemque delirare, ophthalmia ocu-  
 los teneri, nares, linguam, & fauces ardore, dolore,  
 siti, fuscitateque summa exuri, quin easdem partes cum  
 continuata fistula chyloœa aphthis, imo pustulis variolo-  
 sis itidem obsideri, præcordia uri, pulmones phlogosi cor-  
 ripi, diaphragma, ventriculum, intestina, hepar, reli-  
 quoque infimi ventris viscera gangræna prehendi, hinc  
 singultum, vomitum, diarrœam cruentam, atrabilariam,  
 fœtidam, associari, renumcola stringi nunc, urinamque  
 pallidam paucam cum stimulo emingi, nunc vero dilace-  
 rari, sanguinemque acrem urinæ loco emingi, ex alio-  
 rum etiam excretiorum organorum vasis sérosis impe-  
 tuose sanguinem erumpere, & hemorrhagias narium, ven-  
 triculi, pulmonum, uteri, eis nas oriri, in ipsa cute in-  
 ter variolorum segetem maculas præterea morbillosas, pur-  
 pureas, pectialesve emergere, stridores dentium, sub-  
 sultus tendinum convulsionesque accedere, tandemque  
 cor, cerebrum, pulmones totumque corpus fatiscere,  
 comata profunda, lipothymias graves, dyspnoeas sum-  
 mas, glacialia extreñorum frigora, atrum sphacelum  
 pallidamque mortem tristem hanc scenam claudere, toto  
 die compieriamur. Imo pares internecinos insultus illis  
 etiam, quibus discretæ, sed malignæ variolæ eveniunt,  
 accidere, non reticendum est, sic ut periculi plenissimus  
 variolorum morbus sit, quotiescumque five in discretis,  
 five in confluentibus, circa statum eorundem ægrotis  
 has memoratas infidias struit, nec ullum è laqueis hisce  
 evadet

evadere , ni salutatio in adultis , aut diarrhoea in infantibus  
accedens , periculosissimum morbum salutari crisi levet.  
Hæc ergo morbi secunda & maturationis periodus existit.

## §. V.

Si tamen undecimam lucem in discretis , vicesimamque in malignis confluentibus variolis fluctuantes miseri aspicerunt , tunc ex naufragio in portum venisse credendum est. Excessantes enim matis microcosmici undæ subsidere , tumor cutis collabi , ardor remittere , materia in pustulis hospitans vel exsiccati , vel iisdem crepatis effundi , cuticula corrugari , in crustam abiit observatur , haecque vel sponte à cute secedens , vel digitorum ope avulsa , maculas dein fuscas , foveolas plus minusve profundas & durabiles , imo foedas quandoque cicatrices & asperas suturas , in facie alibi in cute , si acris , rodens confluensve fuerit materies , tanquam perpetuas saevitiei notas inustas relinquit. Præter vero , quod venustatis sedem , faciem , ita foede laceret variolorum morbus , aliis adhuc modis , antequam e corpore migret , turpem præsentiae suæ memoriam inibi statuit. Sic frequenter corporis specula oculos maculis , pustulis , lippitudinibus , hypopyis , & quandoque plane coecitate plectere , auribus fluxiones , obauditiones surditatesve immittere , pulmonibus labem , tussim sicciam , phthisin hecticamque imprimerre , artibus apostemata , ulcera mali moris per metastasis causari , & sexcenta alia mala per vitæ dies durantia , in sui locum sufficere solet. Et quando sic defervescit morbus , tertiam & exsiccationis periodum adesse , censendum est.

## §. VI.

Hæ sunt letiferæ illæ strages , quas hydræ lernææ ,  
B 2 imo

imo truculentæ pestis instar , variolarum lues inter homines saepissime edere solet . At , si , ubinam gentium primum caput extollere cuperit , inquirere , & anne veteribus cognita fuerit entdare vellemus , extra oleas vagari , & nimis amplas in antiquitatem græcam latinamque excusiones instituere cogemur . Hoc hic annotasse sufficiat , ex pumice potius aquam , quam ex locis Hippocratis *Epid.* L. I. S. III. *Aegr.* 2. L. II. S. I. N. 1. L. III. S. III. L. VII. N. 23. ARETÆI de *Caus.* & *Sign.* acut. *morb.* L. I. C. 9. HERODOTI ab AETIO C. de *Pustul.* in *febr.* excitati , DIOSCORIDIS de *Med. Mat.* L. II. C. 153. & 185. PLINII *Hist. Nat.* L. XXVI. C. 2. GALENI de *Atra Bile* C. 4. *Comment.* III. in L. I. Hippocr. de *Morb. vulg.* *Comment.* III. in L. III. de *Morb. vulg.* CELSI de *Med.* L. V. C. 28. L. VI. C. 5. aliorumque Medicorum , ab antiquitatis patronis allatis , variolarum vestigia elici posse , eum quidquid ab his auctoribus de pustulis , maculis , papulis , tuberculis , herpetibus , ulcusculis , lichenibus , phlyctænis , præcipue vero de anthracibus sive carbunculis , memoratur , perperam ad variolas applicare conentur . Certe , si antiquis medicis , ute pote in observando diligentissimis , morbus tam sævus , tam gravis , tam fatalis , infantibus plurimi inter necinus , illisque etiam , quos in vita relinquit , non absque vestigiis impunis , qualis variolæ existunt , cognitus fuisset ; non verbo solum , sed ampla & accurata descriptione , uti in aliis morbis soliti erant , eundem pariter confignavissent . Cum vero apud Arabes demum Medicos , & inter eos apud Rhafem primum , enucleate eundem descriptum invenire liceat ; circa ipsorum demum , & quidem secundum Celeberr. FREIND *Hist. Med. Opp.* p. 274. circa Mahometi tempora , sub initium seculi septimi , eundem natum esse , extra omnem fere dubitationem positum est . Non tamen ideo cum Arabibus causam hujus mali prædisponentem in matrem conjicere , & ex impuritatibus a sanguine uterino materno post partum in foetu adhuc

adhuc restitantibus, & vel in capsulis atrabilariis, vel in intestino vermiformi absconditis, eundem derivare, aut patrem accusare, & seminis impuri reliquiis eundem attribuere licet; cum sic a primordiis mundi, ubique terrarum, & omnes homines adoriri debuisset: quod tamen per ea, quæ jam diximus, quatenus veteribus erat incognitus, per ea etiam, quia multos per vitam nunquam visitavit, & qua gentes integræ a variolis hodie adhuc immunes, Tartarorum & Calmuccorum exemplo vivunt, uti in COMM. LITT. NORIMB. A. 1735. *Hebdom.* 37. p. 376. recensetur, refutari poterit,

### §. VII.

Sic vero, quoniam non omni ævo, nec apud omnes gentes, nec ubique locorum variolosam luem grassatam fuisse diximus, undenam ipsius natales ducendi fint, multi curiosius querent. Difficillimæ & arduæ resolutu quæstioni immorari virium tenuitas & temporis angustia impedit, hanc solum conjecturam levem, responsionis loco hoc apponemus. Variolarum morbum eandem fortè, quemadmodum omnes exanthematici morbi, expertum fuisse, probabile est. Vicissitudines quippe suas eosdem habere, & certo tempore nasci, alio vero, ætate confectos, rursus exolescere, cum HIPPOCRATE ANGLO, SYDENHAMO *Opp.* S. V. C. 4. arbitramur, antiquisque exanthematicis morbis, lepræ, elephantiasi aliisque, novos, veteribusque incognitos, venereum luem, variolas, morbillos, purpuram, petechias successisse, horumque loca futuris seculis iterum alios novosque occupaturos esse, credimus. Hos vero exanthematicos morbos omnes, qui cunque nunc fint, semper in individuo quodam, febre acutissima detento, summaque humorum corruptione prædicto, & ob eam ipsam cutaneas tales maculas adepto, initium sumisse verisimile est, at ob materiae corruptæ

in cute stagnantis volatilitatem, cur non ægro huic adstantes & dispositi, pari acrimonia, parique morbo infici & inquinari potuerunt. Cum vero exhalans hæc aeris & contagiosa materia, quam Medici miasma vocare solent, eundo vires acquisiverit, & multiplicata fuerit, non solum plures semper homines inde affectos, verum etiam aërem eodem conspurcatum fuisse putamus, ita quidem, ut fluidum hocce omnis generis effluviis malignis & corruptis imbutum esse, simulque per aërem, tanquam per vehiculum, contagia ab uno loco in alium transportari, haud inique suspicari liceat, nondum etiam aërem, purissimum licet, ab omni eorum morborum exanthematicorum, qui hodie regnant, miasmate, ob vim ipsius citissime ac mirum quantum sece multiplicandi, plane liberum repurgatumque existere, uno tamen in loco, uno etiam anni tempore idem copiosius aut parcus, blandius aut fortius, ob soli & regionis situm, cœli & aëris vicissitudines, sece habere, sique penitus ab inquinamentis his per purgari aërem possibile est, per insignes in macrocosmo ventorum, terræ motuum, pluviarum, inundationum tempestatumque ope factas mutationes, illud eventurum esse, autumnamus. Cujusvis vero miasmatis exanthematici in aëre contenti naturam ab altera diversam, unamque huic, alteramque alii humoris plus infestam esse, diversa, quæ in qualibet febre exanthematica occurrent symptomata, satis manifestant. In genere ramen acris, rodentis & corrumpentis indolis contagium exanthematum esse, graves sœpeque machinae destructionem inferentes effectus, abunde probant. At specificam cujuslibet contagii exanthematici acrimoniā determinare, voti adhucdum & spei res hodie existit.

## §. VIII.

Verum tamen, quod acrimoniā variolosū miasmatis atti-

attinet, si ab effectibus, quos in corporibus edit, ad causam concludere licet, naturae acidæ & sanguini potissimum infestæ, ipsique coagulum ac inflammationem inducentis, eam esse, admodum verisimile est. Et hoc acre, acidum, in aëre hospitans contagium, corpus per deglutiitionis, respirationis, aut inhalationis vias subiens, in venas appellens, sanguini admixtum, eundem coagulans, & cum eodem ad cor, pulmones, & totum corpus delatum, ibique forum, educatum, multiplicatum, & propagatum, procatarctica causa variolarum existit. Hoc ipsum tamen acre & coagulans miasma nequaquam promiscue nocere, ac omnium hominum massam sanguineam inquinare & coagulare, quamvis perpetuo in aëre moretur, sicque cuncti eodem aëre vescantur, tenendum est, ni antea per alias causas occasioales, v. g. per errores in cibo vel potu ratione quantitatis vel qualitatis commissos, per tempestatem calidam humidamve, per animi affectus, per motuum aut vigiliarum excessum vel defectum, per excretionem quandam naturalem sanguineam seroflammatam, aut austam, per morbos prægressos male judicatos, in massa humorum plethora, spissitudo, vel acrimonia inducta fuerit, sicque jam causa quedam disponens & remota in corpore præextiterit. Hæcce quippe corpus ad miasma recipiendum præparant, tuncque facilius in paratis contagium variolosum sedem suam figere, præsentem jam spissitudinem & acrimoniam augere, ac ad diathesin phlogisticam deducere poterit. Cum vero inde roti crux coagulum concilietur, in quo quidem causa hujus morbi proxima querenda est, non mirum, quod statim in inicio hujus morbi, ob tenacem & coactum sanguinem in vasis capitis, cerebri, cordis, pulmonum, viscerumque infimi ventris impeditius circulantem, cephalgiae, deliria, vertigines, anxietates præcordiorum, dyspnoæ, pulsus celer, fortis, durus, febris, vomitus, tensiones hypochondriorum & lumborum sese manifestare

flare soleant. At cum spissis acrime crūore ad auctiōrem syftolen irritatum cor, eundem ad extrema usque cutanea vascula propellat, crassiores sphærulæ rubræ in angustioribus his canaliculis, ob plura contactuum puncta, lentissime progredientur, plane tandem ibidem hærebunt, stagnabunt, inflammationem, id est, maculas rubras formabunt, imo diurna mora corruptentur, in pustulas convertentur, hoc est in variolas transibunt. Quando vero nimium coagulata massa humorum a cordis & arteriarum viribus minus alacriter propelli, & ad extrema usque promoveri poterit, in internis visceribus eorumque valis quantitas coagulati & acris crūoris impedita hærebit, internas stases, inflammations, gangrēnas & necroses eorundem producit. Unde in statu variolosæ febris lugubria illa symptomata, deliria, hæmorrhagiae narium effrenæ, vertigines, sopores, hæmoptyses, lipothymiae, orthopnoæ, pleuritides, singultus, vomitus, diarrhoeæ foetidissimæ, miętus imperuosí cruenti, aut aquosi crebriores, subsultus tendinum, convulsiones ori ri solent, quibus ultimo pallida mors finem imponit.

## §. IX.

Quid de exitu variolosi morbi Medicus ominari debat, ipsi, si ad causarum, morbum inducentium, ad symptomatum illas insequentium, levitatem vel gravitatem attendit, haud obscurum erit. Serena enim vel nubila tempora facillime inde prædicet. Simul vero, ut vel securum rerum statum ad finem usque morbi conservet, vel periculosum ocyus citius profliget, curæ sibi habere idem Medicus debet. Ergo I. vires naturæ, cordis puta, arteriarum, pulmonum, cerebri cerebellique conservare, firmare, & periculum ab iis avertere. II. Vires cauſæ morbificæ, miasmatis puta variolosi, spissitudinis & staseos inflammatoriae corrigere, illamque e corpore eliminare,

minare, sint illi duo scopi, quibus rite exequendis Medicus in cura hujus gravis affectus studere debet. Primam indicationem V. Sionibus tamante eruptionem, quam sub ipsa eruptione ægre succedente, imo in statu morbi celebratis, si plethora, frequentia & durities pulsus, evacuatio quædam sanguinea suppressa, aut nimia, deliria & dyspnœæ illas indicaverint, ad crux, cordi negotium facessentis, molem demendam, systolemque ipsius sic liberiorem reddendam, ad phlogosin in interioribus visceribus avertendam, illamque, quæ in cute evenit, minuendam,  $\Theta$ sis insuper, ad æstum febrilem nimium temperandum, diluentibus potulentis, ad sanguinem densum dividendum, atque enematibus adimplemus. Alteram indicationem emeticis, catharticis, absorbentibus  $\nabla$ eo alcalicis, diapnoicis, Camphoratis, iisdem diluentibus, vesicatoriis interdum, ad acre contagium obtundendum, dividendum, &, quantum fieri potest, e primis viis, præcipue vero per poros cutis expulsandum, iterumque enematibus obtinemus. Prædictorum remediiorum in variolis efficaciam & necessitatem ab hodiernis Hygeæ antistitibus vix in dubium vocari autumamus, enematum vero & efficacia & necessitas à plurimis in variolis impugnari, quin damnoſa & periculosa eorum in hoc morbo applicatio haberi solet. Non melius nos acturos esse arbitramur, quam si enematum in variolis necessitatem probatur, quomodo in omni variolarum tempore, nec non in variis variolarum speciebus proficia & necessaria se exhibeant, atque ad primam æque ac secundam indicationem feliciter absolvendam symbolam conferant explanabimus.

## §. X.

Cum in ipsa febris variolosæ invasione alvus ordinarie clausa sit, cum canalis intestinorum multis cruditaribus pituitosis & biliosis, præcipue vero crassorum tractus scybalis flatibusque refertus sit, cum murmura ventris, tormi-

C

na

na tensionesque abdominis ægro molestias facestant, cum miasmatis acris per deglutitionem in corpus hausti quantitas in primis viis primum sedem suam figat; canalem intestinorum à saburra vitiosa expurgandum esse, ne, per vasa lactea pars ipsius in sanguinem devecta, eam ulterius inquietet, ne omne miasma in sanguinem intret, indicatur. Hoc vero non solum vomitorii & laxantibus, per os assumptis, verum etiam clysmis in crassa intestina injectis, & ad valvulam ilei usque promotis efficietur. Hisce quippe fæcum induratarum emollitionem, flatuum discussionem, cruditatum variarum attenuationem, miasmatis hic hærentis mitigationem, imo omnium horum educationem o-prime procuramus. Et scybalis flatibusque horum ope eliminatis, intestinorum parietes nimis extensi restitui, vase compressa laxari, circulus sanguinis reliquorumque humorum in intestinis liberior peragi observatur, deliria hinc, cephalalgiae, anxieties & dyspnoeæ, initio morbi jam molestæ, ob sanguinem, intestinorum vasis nimium constrictis, ad caput & pectus ruentem, evenientes, restituto hic locorum circulo, spasmodique relaxatis, minuentur. Eo magis vero sub ingressu hujus morbi clysteres necessarii erunt, quando vel propter febrem acutissimam, vel propter summam debilitatem, purgante medicamento totum intestinorum alveum purgare non possumus, tunc, ne omni ope destituantur ægri, dimidiâ saltem partem eluere, sicque symptomata iam recensita antevertere, aut mitigare, juvabit.

### §. XI.

Si prægressis variis moliminibus ipsa demum macularum variolosarum eruptio contingit, cutisque exanthematicis his conseritur; quoniam tunc febris graviter ardet, quoniam cephalalgiae, imo phrenitides palladis arcem fortiter occupant, quoniam dyspnoeæ & anxieties præcordiorum maximopere urgent, quoniam acre variolosum con-

contagium tensiones abdominis & spastmos intestinorum admodum molestos inducit, quoniam ob nominatam miasmatis in intestinis hospitantis, ac ob cruditatum biliosarum aliarumque ibi locorum morantium acrimoniam irritatio in hujus canalis fibris & diarrhoea metuenda est, aut, ni hæc contingat, quoniam subtilissimæ horum inquinamentorum partes per oscula lactea tam intestinorum tenuium, quam illa quarti generis, quæ in coecum & colon hiant, in M. Seam intrare possunt, maximam sub hisce circumstantiis clysterum necessitatem adesse perspicitur. Horum quippe auxilio non solum scybala, flatus, cruditatum multum, quid quod miasmatis acris portio, si non in tempore advocatus medicus per purgantia ore assumpta totum canalem intestinalem amplius evacuare potuit, per crassa intestina educetur, semperque impuritatum pars ex intestinis tenuibus trans coli valvulam invitabitur, per alvum eliminabitur; verum etiam vasa mesaraica nimis pressa nerveique mesaraici plexus admodum tensi relaxabuntur, sanguinei æque ac nervi laticis circulus liberior ac æquabilior fieri, sanguis in capite & pectore stagnaturus inde a vocabitur, inflammations cerebri ac pulmonum etiam in hac periodo arcebuntur, &, quod præcipuum est, irritatio, tensio, tormenta, tenesmus, ac diarrhoea periculosa, ab acribus materiis in intestinis latitantibus oritura, humorum a cute ad interiora recessui occasionem datura, adeoque eruptionem variolarum impeditura, enematibus unice & optime præcavebitur. Vanum ergo illorum metum esse, qui, ne alvi fluxum nimium excitent, clysmata sub eruptione horum exanthematum cane pejus & angue fugiunt, & damnant, quum potius liberatis ab acri irritante intestinis, diarrhoeam, in hoc stadio interdum admodum funestam, præservari, sicque eruptionem adjuvari, facilioremque reddi, planum fiat. Apprime hac de re SIDOBRE de Variol. & Morbill. C. 14. p. 208. sqq. ita disserit. » Enemata debent singulis, aut saltē alternis die-

„ bus iniici, ut primæ viæ eluantur ac temperentur, &  
 „ induratae faeces per secum derurbentur: colum enim  
 „ intestinum tam tortuosum & tam variis cellulis excava-  
 „ tum est, ut quidquid feculentum ac noxiū per inte-  
 „ stina devolvitur, in eo potissimum torpere cogatur,  
 „ ubi ab ingenti febris ardore exsiccatum, inquietudinem ac  
 „ fervores in imo ventre excitat. Interim ab eo sterqui-  
 „ linio salia volatilia exhalantia sanguini inspirantur, & ejus  
 „ fermentationem intendunt. Non mirum, si variolæ tan-  
 „ tam ægrotantibus olim intulerint noxam, cum plerique  
 „ Practici non solum venæsecionem sed eriam enemata in  
 „ variolis culparint; putabant enim ea alvi fluxum, quem  
 „ pernicioſum esse videbant, promovere; sed experientia  
 „ docet nos, detrimentum corpori nunquam intulisse cly-  
 „ steres, dum alimentorum faeces expurgant, nec alvi pro-  
 „ fluvium provocasse. Præterea faeces in colo diutius tor-  
 „ pentes, acriores fiunt, & intestinorum membranas pun-  
 „ gunt & vellicant, & alvi profluvium, quod adeo timent,  
 „ excitant. Erroribus igitur quamplurium Practicorum  
 „ cautiōres facti, alio iter intendimus, & in praxi sequimur  
 „ diversa, atque semper enitimus mineram morborum ex-  
 „ haurire, & simum ē corpore eradicare ac deturbare. Per  
 „ totum variolarum decursum debent iniici ſemel in die,  
 „ aut faltem alternis diebus clysteres lenientes, ut alvi flu-  
 „ xus & dysenteria arceantur, & pravi succi ab intestinis  
 „ subducantur..” Quis, si verba hæc, necessitatē clyste-  
 rum in eruptione variolorum clarissime exponentia, nostra  
 facimus, id vitio nobis vertet.

### §. XII.

Profecto autem, si ab acribus materiis in intestinis re-  
 tentis diarrhoea, si ab extensis nimium ob scybala intestino-  
 rum parietibus, aut si a siccatis nimium strictisque ob alvum  
 constipatam mesaraicis vasis, parcior sanguinis ad ea ap-  
 pulsus copiosiorque ad caput, pectus, vel alia viscera con-  
 gestio,

gestio, sive cephalalgia, agrypnia, haemorrhagia narium effrena, ophthalmia, delirium, inflammatio cerebri, subsultus tendinum, convulsio, angina, pulmonis phlogosis, diaphragmatis sideratio, singultus, dyspnœa, anxietas præcordiorum, syncope, vomitus, hepatitis, nephritis, inictus parcus aquosus, vel cruentus impetuosus, morbillosæ, pterechiales, purpureæque maculae superveniunt, calor que febris fortissimus accedit; certe valida hæc sym promata tempore maturationis, ubi ob febrem secundariam per se jam intense caler æger, maximopere metuenda sunt, cumque frequenter eadem in  $\alpha\mu\mu$  hujus morbi ira eveniant, febri somitem ignitum subdi, pluresque sub iisdem occumbere, toto die observamus. Anne vero non in anxio hocce rerum statu cum reliquis indicatis auxiliis clysmis alvum trahendi summa necessitas urget. Quoniam efficaciori adminiculo sanguinem a superioribus revellemus, fatales in facie, oculis, cerebro, pulmonibus aliisque nobilibus partibus in celarem sphacelum ruituras stases divertemus, calorem febrilem minuemus, circulum sanguinis ad æquilibrium redigemus, diarrhoeas graves, maturationi variolarum adeo contrarias, vel præcavebimus, vel auferemus, si enemata admittere nubila mens vinclaque præjudiciorum frenis recusat, aut metuit. Nunquam ergo inanis & panicus terror ægrotantes percellere debet, quasi calor ad maturationem variolarum ita necessarius per alvum reclusam ipsis detraheretur, quoniam calorem in corpore potius retinendum, alvumque firmiter occludendam esse, antiqua animis inhæret opinio, in quem quidem finem  $\nabla$ a sigillata in ptisana, aut  $\ddot{\sigma}$ Pannonic. rubr. bez. Ludov. aliisque adstringentibus & calidis alexipharmacis medicamentis, strenue multos hodie adhuc uti, compertum est. Ast, quid quæsio per alvi adstrictionem, & calidorum remediorum largam præscriptionem aliud in variolosa febre efficies, quam ut massam sanguineam acriter agites, febrem secundariam adaugeas, sudatione coacta fluidiora e corpore expellas,

ea quæ remanent inspissas, cruentem reliquasque humores  
 compingas; in teneris encephali, pneumatici organi, aliorum  
 que viscerum vasculis cunees, figas, phlogos inque non amplius  
 extinguendam inducas. Nec maturationem alvo clausa  
 existente, caloreque in corpore detento, te ideo adjururu  
 rum aut faciliorem redditurum esse crede, spissò potius & ex  
 usito cruento obrutum cor, ultra tonum suum distendetur,  
 syftolen ægrius inchoabit, sive sanguinem infusum  
 amoliendi, & ad peripheriam usque promovendi impar  
 reddetur, maximam hinc ipsius quantitatem in cordi vicinis,  
 interioribus nobilioribus visceribus retineri, ibidem acc  
 umulari, inflammationem parere necesse est, quis vero eo  
 ipso suppurationi notabile obstaculum ponit non intelligit.  
 Quid ergo damni siculnea illa opinio, alvum retinendam,  
 caloremque variolosis ægris conservandum esse, inducere  
 possit, facile nunc perspicitur. Calorem igitur potius de  
 trahendum esse, si intensior idem existit, si febris fortius  
 ardet, ne in multis faria & gravia inflammationis pericula  
 æger inde præcipitur, rationi magis consentanea methodus  
 esse videtur. Praxi etiam celebratissimorum medicorum  
 & experientiae quotidiane illam respondere certum  
 est. Ipsi Arabes, quibus primum hic morbus innotuit, qui  
 que felici ejusdem curatione inclarerunt, & inter eos  
 RHASES, norante FREINDIO, *Hist. Med. Opp.* p. 278.  
 " cubiculum per omne tempus frigidum servandum:  
 " victusque omnis sit refrigerans censuit. Pro alimento,  
 " ptisana. Medicamenta, præcipue e trochiscis spodii (qui  
 " ex optimis absorbentibus sunt) & ex granatorum succo,  
 " aliisque omnibus acidis & adstringentibus herbis. His au  
 " tem refrigerantibus utendum, quo mitigetur vehemens  
 " morbi ardor, cum ea tamen moderatione ne calor natu  
 " ralis extinguitur. In initio aquam glacie frigefactam  
 " præberet, quoad vomat sudetque æger; postea fomentis  
 " ex aqua calida utitur; qua ratione optime propelli pu  
 " stulas existimat. Ita quoque ad arcendum morbum & pro  
 " præpa-

» p̄paratione contra eum, natationem, aquæ glaciatae ac vi-  
 » c̄tus acidi quam frigidissimi usum præcipit, uti ompha-  
 » ci, olerum &c. Formulam quoque exhibet ex acidis &  
 » spodio confectam, interque Indos multum usitaram, qui  
 » affirmarent, quisquis ea uteretur pustulas haud plus de-  
 » cem in eo erupturas. Si venter astrictus sit, tunc infu-  
 » sionibus quibusdam bis in die solvi vult; unde pustulas  
 » pauciores futuras: neque id negligendum, si vis morbi  
 » magna sit. „ Arabes acutissimus SYDENHAMUS imitatus est  
 ille enim *Oph.* p. 91, dicit, „ in variolis ægrum cerevisia tenui-  
 ori, jusculis avenaceis, hordeaceis &c. reficiendum euro.  
 Atque si tempore æstivo eoque calidissimo variola non ita  
 multæ obtingant, quorū attineat ægrum in lecto  
 jugiter stratum obrutumque detinere, ego quidem non  
 video. Quin potius singulis diebus per aliquot horas  
 de toto surgat, ea lege, ut tam loco, quam vestitu, frigo-  
 ris pariter ac caloris nimii incommoda præcaveantur.  
 Quid quod ægroro a cubili quandoque abstinentे, mor-  
 bus minori cum molestia, ac etiam breviori spatio tem-  
 pora sua peragat, quam si eidem continenter affigatur,  
 quod non modo ægritudinis rædium adauger, verum  
 etiam febrilem æstuationem fover, & prodeuntibus ve-  
 sicularis dolorificam inflammationem conciliat. Imo p. 95.  
 si æger phrenitide corripiatur, de vehementi queratur  
 ægritudine, urinam paucam at frequenter reddat; jam  
 non aliis auxiliis (cum in propinquuo mors sit) ægro  
 subveniri posse autumat, quam vel narcotica affatim  
 exhibendo, vel sanguinem liberaliter extrahendo, cor-  
 pusque auræ exponendo. „ Nec Baravorum olim Æsculapii  
 BOERHAAVII methodus a prioribus differt. Ille enim *Aph. de*  
*cogn. & cur. morb. §. 1399.* ad suppurationem in variolis impe-  
 diendam, præter alia „ regimine frigiduscuso, maxime ad-  
 missu puri & frigidi aëris, interim corpore inferiore con-  
 tra frigus munito, uti præcipit. „ Et quamvis nos non adeo  
 cordatos exituros fore confitemur, ut in tractandis vario-

lis actualium refrigerantium pharmacorum usum suadere;  
aërem frigidum ad ægrum admittere, aut extra lectum, multo  
minus in aura frigida quemdam variolosum, licet levif-  
sime etiam decumberet, versari sineremus & auderemus,  
de nimio tamen calore arcendo, de eodem moderando, &  
febre inflammatoria præcavenda, aut discutienda, semper  
soliciti erimus, & in hunc finem Oſa, Camphorata, ſub-  
acida, antiphlogistica, multa diluentia, & clyſmata demul-  
centia ſæpius injecta impeneſe commendabimus, quibus qui-  
dem ſuperfluum ſolummodo & nociturnum calorem minu-  
tum, blandum vero & æqualem corpori conservatum, lenem  
in cute madorem ſuſtentatum, maturationem variolarum e-  
gregie adjutum, imo diarrhoeam eandem impedientem tu-  
tissime præſervatum iri, credimus. Clyſteres in ardore  
febrili mitigando non intutos eſſe jam artis parens, HIPPO-  
CRATES L. de Purgant. N. 5. agnovid, „ in febribus vehemen-  
„ tibus, inquiens, medicamenta purgatoria exhibere non  
„ oportet. Verum si alicui opus fuerit, infuſum per clyſte-  
„ rem adhibere potes, quotiescumque volueris. Hoc enim  
„ minoris periculi eſt.

### §. XIII.

Sic igitur, ſi unquam, certe in febre ſecundaria variol-  
arum & maturationis tempore pro gravibus ſymptomati-  
bus memoratis mitigandis, imo profligandis, ſummpere  
necessaria eſſe clyſteria probavimus. Cum vero ex horum  
ſymptomatum præſentia malignitatē in variolis argua-  
mus, in malignis præcipue varioliſ enemata ſæpe & foli-  
cite applicare neceſſe eſſe, convincingur. Ubiunque ergo  
variolæ malignæ corpus obſident, ſive discretæ, ſive con-  
fluenteſ illæ ſint, quamvis confluenteſ frequentius arro-  
malignitatis corpore notentur, eaque potiſſimum, quæ  
in facie confluunt, licet in toto corpore inter ſe ſint diſcre-  
tæ, ad hunc censum referantur, ubiunque etiam variolæ  
epidemicæ graſſantur, utpote quæ itidem frequentiſſime  
mali-

malignæ esse solent, & ubi antea allegata symptomata ægros  
in vitæ mortisque bivio collocant, ibi, frequenter clysteri-  
zando, non solum, uti dictum est, accidentia hæcce arcere,  
sanguinem precipue a superioribus, cerebro, facie, oculis  
revellere, inflammationum & gangrænarum ibidem me-  
tum discutere, oculorum damna prævertere, faciei venu-  
statem tueri, numerum variolarum in vultu minuere,  
diarrhoeas præcavere, aut si adiunt mitigare poterimus;  
verum eo ipso variolas malignas in benignas, confluentes  
in discrietas, minus bene suppurantes in perfecte maturas,  
copiosas in pauciores permutare poterimus. Imo, cum  
in interioribus visceribus, potissimum in œsophago,  
ventriculo, & intestinorum osculis materia corrupta  
stagnans subinde etiam pustulas & variolas exciret,  
blanda intestinalis humectatione & relaxatione transpira-  
tionem intestinalis promovere, internamque matura-  
tionem secundare efficaciter valebimus, sicque omni-  
bus modis difficillimam hanc variolarum periodum mi-  
tiorem reddemus, quidquod suppurationem sic accelerab-  
imus, durationemque dolorifici hujus morbi breviabi-  
mus. Hoc adhuc addimus, cum per oscula lactea quarti  
generis multum liquidi ex clysmis absorbeatur & ad M.  
Seam deferatur, eorundem ope sanguinem etiam dilui,  
temperari, acrimoniam variolosam obrundi, coagulum in-  
de inductum resolvi, adeoque hujus remedii effectum lon-  
ge lateque patere. ELIAS RUDOLPH. CAMERARIUS ideo dis-  
sert. de clysmatibus Tubing. 1688. habita, §. 17. „ clysmatum  
„ usus tantus est, inquit „ ut suffragantibus RONDELETIO,  
HEURNIO, PARÆO, DORNCREILIO, MORELLO, GRÆFIO &c.  
„ nulla sit corporis pars, quæ ex rite administrato cly-  
stere, non aliquam sentiat utilitatem.

## §. XIV.

Sed **absoluta** etiam **periculissima** epocha, matura-  
tione

tione nempe ; & præsente jam exsiccatione , nondum supervacanetum , quin potius necessarium adhuc clysinatum usum esse , sciendum est . Non solum enim semper & per totum morbi decursum cerebrum , pulmones visceraque infimi ventris à congestione & stasi rura servare , humores inde avertere & derivare , circulum sanguinis in æquilibrio continere decet ; verum febris prolongationem omni studio etiam præcavere convenit , quod quandiu nondum tuto corpus purgare possumus , clysinibus , ad reliquias variolosi miasmatis expellendas , efficiemus . Tamdiu ergo clysmis sub ipsa etiam desquamatione insistendum est , donec laxante medicamento intestinorum canalem , simulque massam humorum emundare nihil amplius vetet , imo post catharsin aliquoties susceptram , donec æger iterum foras prodeat , iisdem continuandum est . Pelliculas crustulasque etiam a variolis in ore , fauibus , œsophago , ventriculo , intestinis , natis descendentes , non melius everrere , ipsa ulceracula in crassis intestinis formata non commodius abstergere , ardores & dolores inde inductos non blandius mitigare , quam per enemata poterimus . Imo cum ex morbo resurgentibus convalescentesque solidiora alimenta assumere incipiant , fæcesque copiosiores & duriores in colo rursus formare soleant , ad crassamenta omnia eluenda , ad alvi siccitatem & pigritiam , eaque quæ inde oriuntur incommoda avertenda , in fine variolorum adhucdum proficuus clysteriorum usus erit .

## §. XV.

Non tantum vero in omnibus variolis omni tempore egregii & necessarii usus enemata esse , argumentis nostris probare voluiimus ; verum , cum in reliquis exanthematibus par etiam ratio existat , omni itidem tempore

pore in iisdem illa juvare & necessaria esse, intelligendum est. Ergo si in morbillis, purpura miliaria rubra, & alba, petechiis, peste, erysipelate, urticato, scarlatino morbo, aliquaque exanthematibus, febris fortiter urget, si ante eruptionem, aut sub eadem, aut eam facta, alvus obstructa, cephalalgiae, agrypniae, deliria, inflammations cerebri, convulsiones, orthopnoeae, anxieties praecordiorum, lipothymiae, tormina, tensiones & dolores viscerum infimi ventris, diarrhoea, aliaque fontica mala exanthematum retrocessionem minantia, aut post se ducentia, accedunt, si praecordia uruntur, & exteriora frigent, si eadem accidentia circa statum sese manifestant, clysmatum blandiorum applicationem nequaquam reformidare, imo, pari ratione permotus, ad pericula haecce profliganda necessario in usum trahere Medicus debet. Idcirco PREUSSIUS in E. N. C. Cent. 3. & 4. Observ. 16.

„ clysmata blanda in excretionibus cutaneis variis, cum „ febre acuta & mortibus convulsivis aut deliriis &c. alvi „ obstructione imprimis juncta vel urgente, prorsus in- „ nocua pronuntiat, & sincerus ita inquit. „ Hoc „ propria experientia multiplici felicissimaque apud plu- „ rimos, infantes potissimum, observavi, si variola- „ rum vestigiis sive maculis parvis, rubris & asperis „ se jam exhibentibus, aut pure etiam satis turgentibus, „ alvus obstructa, vel spasmi aut motus quoque con- „ vulsivi &c. jungerentur, non modo non nocuisse, „ sed nil magis contra haec symptomata profuisse quam „ clysmata blanda, e.g. ex lacte vel aqua hordei, cum „ radice paeoniae decocta, butyroque & saccharo Thomaeo „ saturata, unde non solum obstructiones & convulsio- „ nes ex voto cessarunt, sed variolae etiam majus incre- „ mentum excepere, & benignior totius morbi decursus hinc „ secutus est. Metuunt quidem aliqui, inter quos & ego „ meticulosus olim, quia nondum usu proprio tunc „ peri-

„ peritus seu expertus , naturam , ejusque motum secreto-  
 „ rium & excretorium ad cutem , sive peripheriam cor-  
 „ poris , sic impediri & aliorum divertiri , distrahi , aut avo-  
 „ cari , sed vano sane metu mentisque conceptu , cum  
 „ nostra & aliorum experientia multiplex contrarium cer-  
 „ te testetur , & a blandis ejusmodi demulcentibus seu  
 „ foventibus & eluentibus intestina , hoc non soleat fieri ,  
 „ licet per draſtical & stimulantia valde , totamque mas-  
 „ sam sanguineam & œconomiam corporis facile turban-  
 „ tia , id accidere posse & actu ſæpius evenire , nullo mo-  
 „ do negaverim .” Quid , quo minus in tam cordati  
 viri ſententiam eamus , eique plene ſubſcribamus , nos im-  
 pedit ,

## §. XVI.

Ergo in omni tam aliorum exanthematicorum mor-  
 borum , quam variolarum tempore , clyſmorum uſum  
 proficuum , præcipue vero in malignis & confluentibus  
 maximopere necessarium eſſe , probare conati ſumus .  
 Cum enim utrique indicationi ubique ſatisfaciant , id eſt ,  
 cum tam vires virales conſervent , ſanguinem a visceri-  
 bus vitalibus , cerebro , corde , pulmonibus , aliisque , ubi  
 alias densus crux obstacula & inflammationes pariet , re-  
 vellendo , inflammationes has præſervando , calorem fe-  
 brilem minuendo , liquidorumque & ſolidorum motum in  
 æquilibrio ſervando ; quam vires cauſe morbiſicæ , mias-  
 matis puta variolosi infringant , imo expellant , non ſolum  
 nempe illam ipsius partem , quæ in crassis intestinis hæ-  
 ret , eliminando , verum etiam eam , quæ in tenuibus in-  
 testinis adhuc latet , quæque in ſanguinis massam intrare  
 potuiffet , in crassorum alveum derivando , itiderque eva-  
 cuando , illud etiam contagium , quod ſanguinem infecit ,  
 dum clyſmata oſcula lactea quarti generis penetrant , ob-  
 tun-

tundendo, diarrhœam potissimum, eruptioni & matûra-  
tioni variolarum, adeoque expulsioni miasmatis contra-  
riam, avertendo, sicutque ejus per poros cutis excretionem  
promovendo, mechanica quasi lege Medicos in variolis  
ad clysterum applicationem adstringi confitendum est.  
Nullus ergo merus, quin cordate ad egregios hosce ef-  
fectus obtainendos alvum enematibus tentemus, nos liga-  
re amplius debet. Ut vero beneficiorum horum ægros  
nostros participes facere queamus, nulla alia, quam blan-  
da emollientia & lenientia clysmata, ex sola  $\nabla$  fluvialili  
cum butyro, ex jusculis carnis non salitis, ex decocto  
spec. emoll. & carminat. ex furfur. hbb. malv. mercu-  
rial. parierar. flor. verbasc. chamom. melilot. manipulo,  
cum dimidio aquæ & lactis, addito frustulo sacchari &  $\text{ss}$   
olivar. verbasc. aut lil. alb.  $\ddot{\text{z}}$ j. vel ex laete solo, vel oleo  
solo ad  $\text{tb}$ . in infantibus, &  $\text{tb}$ . in adultis parata, qua  
balnei interni instar intestina eluunt, diluunt, demulcent,  
& relaxant, mediante syringe injicienda esse commenda-  
mus. BOERHAAVE *Apb. cit.* §. 1402. „ clysmate blando, di-  
„ luente, emolliente, laxante quotidie injecto, diu reten-  
„ to „ utendum esse etiam censuit. Omnia vero irritan-  
tia, stimulo fortiori  $\Theta$ ino aut resinoso prædicta e-  
nemata, ceu minime tuta, quin potius damno-  
sa, & diarrhœæ, variolarum retrocessioni, spasmis,  
convulsionibus, inflammationibus, lipothymiis, an-  
sam datura, maximopere fugienda esse, adhortamur. Cir-  
ca injectionem CELSI consilium hic non superfluum  
erit auscultare, qui de Med. L. 2. C. 12. hoc suadet: „ id  
„ quod infunditur, neque frigidum esse oportet, neque cali-  
„ dum; ne alterutro modo laedat. Cum infusum est,  
„ quantum fieri potest, continere se in lectulo debet æger  
„ nec primæ cupiditati dejectionis protinus cedere; ubi  
„ necesse est, tum derum desidere. „ Sic enim intestinorum  
spasmi efficacius relaxantur, eadem eluuntur & humores

melius a nobilibus partibus ad inferiora derivantur. Hinc etiam quo magis deliria, sopores, convulsiones, dyspnœa febrisque urget, quo plus inquinamentorum acrum in interaneis stabulatur, quo magis diarrœa molesta est, quo difficilius erumpunt, suppurant, abeunt, imo quo magis confluentes, quo magis malignæ variolæ sunt, eo frequentius clysmis alvum trahere, & singulis ternis quaternis horis eos repetere, donec symptomata pacata fuerint, necesse erit, cum alias, si blande decurrunt, bis aut semel in die, imo alternis diebus solummodo eorum ministerio opus habeamus. Illustris VAN SWIETEN *Comm.* in *Aph. Boerb.* T. II. §. 702. p. 330. clysmatum effectus in hisce casibus sequentibus verbis laudat: „ Eluuntur „ sic fæces, laxantur & soventur vasa intestinorum, ita „ que impetus à capite avertitur, simulque diluens liqui „ dum hac via sanguinem commode ingredi potest. Quan „ tum vero usum habeant clysmata in compescendo „ nimio febris imperu, qui frequens delirii causa est, alia „ occasione dictum fuit. Si ergo ferox delirium urgeat, „ omni trihorio tale clyisma injici debet, donec remise „ rit malum.

## §. XVII.

Quamvis vero nos, quod clysmata blanda in variolis æque ac aliis morbis nunquam nocere, quin potius semper prodesse possint, quamvis etiam, cum WEDELIO de Medic. comp. extemp. Sect. II. C. 5. p. 90. „quod nulla ætas, nullum temperamentum, nullus corporis habitus sexusve excludat clysterum usum, & infantibus in primis, de quibus dubium videri posset, commodissime applicentur, etiam recens natis, „ credamus, sic ut, si omnia pharma ca infantes respuant, per enemata tamen injecta medelam ad huic

huc ipsis afferri posse spes supererit; cum tamen sit modus in rebus, neque nimia clysterum quantitate, sive in hoc morbo, sive in aliis affectibus, inundari ægri debent, uti Liss. BENANCIUS in *Declar. fraud. & error. apud pharmacop. commiss.* à THOM. BARTHOLINO latinitate donata p. 67. de barbitonfere memorat, qui vix octidui spatio, ultra centum clysteres misero ægro applicavit, cum unus vel alter conveniens morbo, potuerit subito sedare vel imminuere dolorem. Neque etiam solis enematibus medicationem tam nostri, quam aliorum morborum tentare, rationale putamus, alias impudentissimum circulatoris istius promissum imitaremur, de quo SCHROECKIUS in *Add. ad HELLWIGII Observ. Phys. Med.* p. 84. refert, quod ALOISIUS MUNDELLA Medicus Brxiensis de illo scripsit, quod, nulla alia consideratione habita, solo clysteriorum usu curare se velle ægrotos, quicunque illi essent, Brixie fuerit professus, & quod omnibus ægrotis indiscriminatim istud remedii genus applicare ausus fu- erit, tum quemvis morbum solo eo profigaturum se jactaverit; cui quidem tam proficia ex isto mysterio obtrigit messis, ut brevi tantam pecuniae summam extorserit, quantum ipse Mundella, licet continuis mendendi exercitationibus omne tempus contriverit, decem annorum spatio non lucrificerat. Ut ergo rationalium medicorum nomen re vera & arte tueri queamus, ad variolarum aliarumque febrium exanthematicarum curam feliciter exequendam, præter enematum applicationem, V. Siones, emerica, laxantia, diluentia, antiphlogistica, Φsa, Camphorata, vesicatoria denique, animum ad ordinem tempus & indicantia pariter advertendo, necessario etiam requiri sciendum, clysmorum tamen usu in hoc morbo rite curando nos nunquam carere posse, simul fatendum est. Liceat ergo tractationem meam LENTILII verbis, in E. N. C. D. II. A. II. Obs. 152. Schol. p. 346. pronuntiatis

tiatis „ ego vero , si clysteres interdicto publico Me-  
„ dicina exulare juberentur , nollem esse Medicus ,  
„ tanti a me fiunt plurimis in affectibus ,  
obsignare .



**ULB Halle**  
004 592 964

3



Mär 1 + 12



# Farbkarte #13



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow  
Green

Cyan

Blue

Centimetres

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

# ENEMATUM IN VARIOLIS NECESSITATE

QVAM

EX CONSENsu

GRATIOSÆ FACVLTATIS  
MEDICÆ

## PROLICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE OBTENDI

SOLENNI PHILATRORUM INSURÆ SUBJICIT

JOSEPHUS HENRICUS  
VON LAUFFEN

LUCERNENSIS HELVETUS.

AD DIEM 20 JULII A. MDCCLII.

H. L. Q. S.

ARGENTORATI

Typis HÆREDUM PAUSCHINGERIANORUM.